DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HOMŒOPATHIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

HOMŒOPATHIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ARTHUR TODD HOLROYD,

Anglus,

SOCIETATUM LINNÆANÆ, ZOOLOGICÆ ATQUE PHYSICÆ
GUYENSIS LONDINI SOCIUS;
SOCIETATUM REGLÆ MEDICÆ REGLÆQUE PHYSICÆ EDINBURGI
SOCIUS EXTRAORDINARIUS ET PRÆSES ANNUUS.

"As wounds by wider wounds are healed,
"And poisons by themselves expelled." BUTLER.

IV. *Id. Julii, hora locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS WALKER.

MDCCCXXX.

CLARISSIMO VIRO,

JOANNI RAMSBOTHAM M. D.

ARTIS OBSTETRICÆ LONDINI PROFESSORI CELEBERRIMO,

HUNC LIBELLUM,

PROPTER PLURIMA IN SE COLLATA BENEFICIA,

IN REBUS ET MEDICIS ET PRIVATIS,

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

D. D. DQUE

AUCTOR.

To Mr. Fletcher
from his sincere friend
the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HOMŒOPATHIA.

Negari non potest quin plerique defectus atque errores, qui Artem Medicinalem, ab antiquissimis temporibus ad nostra usque tempora, obscurârunt et obscurant, ex duabus causis præcipue profecti sint; quòd alii homines parum ratiocinantur, alii perperam. Ex his priores, (qui longe plures sunt,) contenti ea solum agitare, quæ a præceptoribus suis in arte acceperunt, nihil omnino ex suis propriis investigationibus adjiciunt; posteriores autem, (qui pauciores sunt,) singulari aliquâ disciplinâ,

Physicâ, Anatomicâ, Physiologicâ, Chemicâ, præcipue capti, non dubitant omnia, quæ ad Medicinam pertinent, ad præcepta ejus disciplinæ, quam in deliciis maxime habent, quodammodo referre. Abunde autem constat Artem Medicinalem, ut perpetuam contemplationem a cultoribus suis desiderat, ita a cæteris omnibus disciplinis tam esse discretam, ut per conspicilla quasi aliûs alicujus artis commode aspici nullo modo possit, sed ubique postulet ut nudis oculis, et in sua propria imagine consideretur. Quòd si vero novum aliquid in Medicina, utcunque ab aliis artibus diversâ, unquam profertur, quoniam, primâ facie, a rebus quotidianis quodammodo alienum esse videtur, naso adunco, ut inquit poëta, protinus suspendi solet; neque raro tantopere irridetur, ut longe antequam bene intelligitur quale sit, ineptulorum cachinnis (quanto enim plures cachinnare aliquid, quàm intelligere possunt!) omnino exploditur.

Hoc autem propemodum contigit novæ illi parti Medicinæ, quam pro argumento Dissertationis meæ Inauguralis sumpsi; atque adeo infelici Hahnemann, clarissimo ejus inventori; quamvis, uti mihi quidem videtur, nemo unquam hujusmodi

disquisitionibus melius adaptatus est, nemo unquam materiam suam subtilius exploravit, quodque inde collegit, nemo unquam firmioribus argumentis stabilivit. "Puerili jam ætate," ut inquiunt ejus Interpretes, "eximii ingenii specimina dede-"rat. Curriculo scholastico probe absoluto, lin-"guarum veterum classicarum, philosophiæ, phy-"sicorum, historiarum aliarumque bonarum artium "scientiâ uberiori instructus, Academiam Lipsien-"sem aliasque deinde literarum universitates adiit, "ibique summa cum assiduitate Medicinæ studio "incubuit. In observando accuratissimus, in ex-"perimentis instituendis solertissimus, in veritate "indaganda acutissimus, ab ipsa natura ad legum "medicarum investigationem factus esse atque for-"matus videbatur [1]." Veruntamen tam fuerunt nova et inaudita præcepta Hahnemann, ut summum derisum atque oppugnationem protinus concitârint; cumque, ut alii hæc præcepta ex toto vana atque fallacia esse crediderunt, ita alii gravitatem eorum et verisimilitudinem non percipere

[1] Sam. Hahnemanni Materia Medica Pura, e Germanico sermone in Latinum conversa per Stapf, Gross et Brunnow. Praef. I. p. 5.

non potuerunt, secuta sunt " bella, horrida bella" inter Antipathistas atque Homœopathistas, quæ nondum ullo modo finita sunt. In hac autem controversia reperimus adversus Hahnemann, inter cæteros, Wedekind, Lichtenstadt, Heinroth, Naumann, et Sachs ; ab altera parte autem Caspari, Hartlaub, atque alios multos, præcipue Viennæ Pragæque, ubi opiniones ejus curiose perpensæ sunt, parumque aut nihil oppugnationis acceperunt. Insuper in Italia, maximeque Neapoli, in sententias Hahnemann multi Medici jam descenderunt ; Clarissimusque Hufeland eo-usque has amplexus est, ut historias ægrorum Homœopathistis curatorum in Diario suo inseri permittat, credatque multum commodi jam perceptum fuisse ex placitis quæ ii sequuntur, quæque necessario ad accuratiorem usum et ciborum et medicamentorum ducere videntur. Idem quoque non injuriâ existimat Cl. Hahnemann unum esse ex doctissimis, maximeque ingeniosis Medicis, qui tempora nostra adornant. Cum vero Hahnemann, quo melius medicamentorum veros effectus scrutaretur, sua propria medicamenta diu parare soleret, atque ita Pharmacopolarum lucrum imminueret, a Lipsia

tandem expulsus est; minus ille infelix, ut credo, quòd a patria exul fuit, quàm populares ejus, quòd tanto Medico se cæci privârant.

Hæc igitur præfatus, antequam Homœopathiæ præcipua præcepta tradam, non alienum esse videtur proponere quemadmodum nova hæc conjectura animo HAHNEMANN primum effulserit; id quod verbis Interpretum ejus jam dictorum faciam. "Anno 1790," inquiunt, "GULIELMI CULLENII "Materiam Medicam in Germanicum transferens, "variis et portentosis, quas ibi invenerat circa "vim Cinchonæ febrifugam, explicationibus subi-"to incensus est studio, genuinam hujus pharmaci "virtutem novâ viâ scrutandi. Plenissimâ valetu-"dine gaudens, sufficientem Cinchonæ copiam as-"sumsit; et mox febre intermittente simillima illi, "quam ipsum hoc medicamentum tollere valeat, "obrutus est[1]." Neque tamen ex hoc unico experimento, HAHNEMANN aliquid pro certo colligere ausus est; sed aliorum medicamentorum effectus, non modo in se, sed etiam in alios aliosque sanos homines, scrutatus est. "Et idem semper extitit "eventus: Medicamentum exploratum genuinâ "pollere vi, eadem symptomata in corpore sano

[1] Liber jam citatus, Praef. I. 6.

"excitandi, quibus in corpore ægroto mederi solleat."

Sed quamvis Homœopathiæ placita, ita verbis tradita, aliquid novi, et quasi portentosi, habere visa sunt, ideoque plures derisores atque oppugnatores non sibi attrahere non potuerunt, tamen res ipsa minus nova fortasse est, quam esse videtur; quinetiam, a vetustissimis temporibus aliquid tale hominibus suboluisse credibile est. Ut omittam id quod a quibusdam dictum est, HOMERUM ipsum non obscure Homœopathiæ cognitionem indicâsse, in fabula illa de hasta ACHILLIS, cujus tactus (ut omnes noverunt) optimum remedium fuit omnium vulnerum hastâ factorum; negari non potest, quin ab antiquissimis auctoribus animadversum fuerit alterum venenum noxæ alicui, ab altero factæ, remedio sæpe esse. Narrat AUSONIUS historiam mulieris libidinosæ, quæ cum vellet maritum suum impotentem interficere, atque hoc consilio venenum ei dederat, metuens ne parum mature hoc valeret, alterum dedit, quod prioris antidotum fuit;

——— "prodest crudelior uxor,
"Et cum fata volunt, *bina* venena juvant."

Quis etiam ignorat MITHRIDATEM, Ponti Regem,

sumendo quotidie venena, corpus suum omnibus venenis immune reddidisse; ita ut, cum postea, POMPEÏO victus, hoc modo interimere se cuperet, non potuerit? Hoc autem ideo evidenter fecit quia animadverteret alia venena præsidio sæpe aliis esse; idemque, ut dicitur, post eum a MACAMUT, Imperatore quodam Cambayæ, eo-usque factum est, ut totum corpus suum, ut ipsum a venenis tutum, ita aliis omnibus venenatum reddiderit; cumque vellet aliquem ex servis suis delere, solitum fuisse semel hominem inspuere, cum protinus periret. Hoc manifeste falsum est; sed tamen satis bene ostendit quantum semper invaluerit opinio, easdem res et movere mala, et iisdem, aut utique similibus, malis mederi posse; id quod ostendit quoque BUTLER, ubi dicit, quasi de re jam satis nota,

"As wounds by wider wounds are healed,
"And poisons by themselves expelled."

Præterea codex antiquissimus, post literarum renovationem, præceptorum medicinalium, Schola Salernitana, ubi de crapulæ effectibus imminuendis loquitur, hæc habet,

"Si nocturna tibi noceat potatio vini,
"Hoc tu mane bibas iterum, et fuerit medicina."

Unde colligendum est Homœopathiæ præcepta, si non verbis, at certe re ipsâ, tempore quo hic Liber scriptus est, non incognita fuisse. Sed supervacuum esse videtur plura citare ad comprobandum argumentum nostrum non plane musteum esse, sed quicquid auctoritatis accedere ei ex vetustate potest, hoc merito sibi vindicare; neque aliâ ullâ laude Hahnemann dignum esse, nisi quod rebus jam cognitis novas aliquas adjecerit, atque ita omnes in unum collegerit, ut, ex late sparsis atque inutilibus, disciplinam utilissimam atque pulcherrimam confecerit.

Utcunque enim effectus remediorum, etiam antiquissimis auctoribus, leges Homœopathiæ subinde inculcâsse videntur, tamen generalis usus medicamentorum, ante tempora Hahnemann, ex principiis ex toto diversis manifeste profectus est; necdum lex illa alicui unquam innotuerat, "morbum "dynamicum quemcunque optime sanari medica-"mento tali, quod simillimum symptomatum com-"plexum, eoque ipso similem affectionem (ὅμοιον "πάθος) sponte suâ in corpore sano excitare va-"leat[1]."

[1] Liber jam citatus, Praef. I. 7.

His igitur fundamentis innixus HAHNEMANN loco axiomatis habuit, non ut antea "contraria "contrariis," sed "similia similibus curantur;" verùm cum "similia" dicat, oportet semper meminisse eum nullo modo "eadem" dicere, neque enim, ad aliquod malum sanandum, opus esse videtur ut idem, sed solum ut simile ei malum in corpore moveatur. Ut inquit ille, in curandis morbis, quæri potest,

"1. Num medicamina adhibenda sint talia, quæ "in sano corpore affectionem Allopathicam (*ἄλλον* "*πάθος*), i. e. morbo naturali nec similem nec op- "positam, sed ab eo plane diversam gignant?

"2. An talia, quæ in sano corpore affectionem "Antipathicam, seu Enantiopathicam, (*ἐνάντιον πά-* "*θος*), i. e. morbo naturali oppositam producant?

"3. An denique talia, quæ in corpore sano af- "fectionem Homœopathicam (*ὅμοιον πάθος*), i. e. "morbo naturali similem excitent[1]?"

Ex his tribus generibus autem medicamentorum, prima quodammodo neutralia esse videntur; et secunda dare, post vetus illud HIPPOCRATIS, *ἐνάντια*

---

[1] Liber jam citatus, Praef. I. 17.

ἐναντιῶν, est morbos lenire quidem, sed non sanare. Supersunt igitur solum tertia; et quantopere hæc adversus morbos valeant, experimenta, simul atque rationes doctissimi HAHNEMANN optime docent. Recte vero judicat clarissimus vir nos parum bene adhuc medicamentorum veras proprietates percipere, quæ sic demum intelligentur si omnia symptomata, quæ in sanis hominibus singula movere solent, diligenter notata fuerint; quod ubi factum fuerit, verisimile esse fore ut, adversus singulos morbos, totidem utique remedia extent.

Cum igitur hæc dixerim de Homœopathiæ universis principiis, proximum est ut pauca exempla adducam, ad eorum veritatem ostendendam; eaque ex vulgatissimis morbis seligere conabor, primum localibus, postea generalibus.

Quàm bonum remedium, post crapulam, sit altera levior crapula, jam ostendi; et si hoc verum est post mediocrem intemperantiam, multo magis verum est post vehementem, qualis *Delirium Tremens* movere solet; cujus felix curatio a SAUNDERS, SUTTON, RAYER, PERONE, LEVEILLÉ, aliisque, iisdem propemodum rebus adhibitis unde morbus

ortus est, Homœopathiæ præcepta optime confirmat.

Idem fere dici de *Insania* potest, quæ quàm sæpe, modo ex ebriositate, modo ex certis medicamentis, cujusmodi est Hydrargyrum, proficiscitur, omnibus cognitum est; neque minus cognitum, quàm commode, ut a Cox longâ ebrietate[1], ita ab ARMSTRONG[2] atque BURROWS[3] Hydrargyri Submuriate, nuper curata fuerit.

Sequitur *Epilepsia*, quæ, ut a fastidio, aliove animi affectu, sæpe nascitur, ita iisdem similibusve animi affectibus non raro discutitur. Hoc modo solum explicari possunt boni effectus multorum illorum crudelium atque execrandorum remediorum (uti a CÆLIO vocantur), quæ in hoc morbo adhiberi olim solebant, quæque a DIOSCORIDE atque PLINIO summâ fide tradita sunt; neque aliter felix eventus experimenti illius bene cogniti Cl. KAAU BOERHAAVE, qui, vocatus aliquando multis pueris simul ex imitatione epilepticis factis, in Schola Haerle-

---

[1] On Insanity, 1804.

[2] Practical Illustrations of Scarlet Fever, &c. 1818.

[3] Inquiry into certain Errors relative to Insanity, 1820.

mensi, minatus est ferro candente primum qui corriperetur [1].

In eandem partem quoque *Ophthalmiam* citare licet, quæ non magis commode sanguinis missione medicamentisque purgantibus, quam lotionibus valide excitantibus, talibusque quæ in sano oculo inflammationem cito excitarent, curatur. Hoc consilio suadet, GUTHRIE, ut valida solutio Argenti Nitratis oculo, gravissime inflammato, admoveatur; parique consilio utuntur Chirurgi, in plurimis Valetudinariis, Sulphate Cupri, quem palpebræ inferioris interiori superficiëi adhibent.

Sed si localia remedia simplicis Ophthalmiæ Homœopathiæ placita quodammodo corroborant, multo magis eo confert *Iritidis* generalis curatio. Bene cognitum est quam sæpe hic morbus ex Hydrargyro oriatur, ita ut una, ex quinque ejus speciebus a Cl. BEER admissis, "Mercurialis" appelletur. Idem vero citra Hydrargyrum sanari frequenter non potest; id quod quibusdam auctoribus ROBERTSON [2] atque HEWSON [3] inter alios, tam

---

[1] Impetum faciens Hippocrati dictum.

[2] Edin. Med. and Surg. Journ. 1825.

[3] Observations on the History and Treatment of Ophthalmia accompanying the secondary form of Lues Venerea, 1824.

inexplicabile esse videtur, (nescientes scilicet Homœopathiæ leges,) ut negent omnino fieri posse ut aliquis morbus eodem medicamento, et moveatur et tollatur.

Amaurosis quoque in eandem partem citari non minus bene potest. Inquit Beer vividam fulgurationem, idque maxime ubi hominem a somno excitat, non raro eam formam morbi movere, quam Amblyopiam Amauroticam vocamus, interdumque integram Amaurosin. At in nullo morbo commodius, post commendationem ejus a Cl. Blizard[1], Electricitas adhibita est; ipseque sæpe vidi eundem, non recentem modo, sed etiam vetustum, ut imminutum, ita aliquando ex toto sanatum, paucis levibus ictibus electricis, oculo affecto admotis. Subjicere quoque licet, quod, in hoc morbo, primum Galvanismus, a Volta, medice adhibitus est. Bene cognitum est quoque hunc morbum sæpe aut ex ebrietate, aut ex valida aliqua corporis exercitatione, proficisci: narrat autem exemplum Richter hominis, qui ab eodem semper liberatus est paucis vini cyathis; alterumque alterius homi-

[1] London Med. Journ. 1791.

nis, qui pari modo morbum discutere solebat acri per hortum suum ambulatione.

Ptyalismum Hydrargyro sæpe excitari nemo ignorat; minus vulgo autem cognoscitur id incommodum posse eodem medicamento frequenter sanari. Hoc affirmârunt nuper Brera, Ritter, Gumper, aliique multi; idemque Homœopathiæ placita plurimum confirmat.

Veluti Amaurosis, ita *Linguæ Paralysis* frequenter ex fulguratione atque ebrietate proficiscitur; sæpeque electricitate, ut discimus ex Smyth et Well[1], Perfect[2], aliisque, neque minus sæpe mediocri vini usu, adjuvatur. Ad hæc, nullus morbus tam sæpe ex validis animi affectibus nasci videtur; ut, ad exprimendos tales affectus, illud poëtæ, " vox faucibus hæsit," pene in proverbium descenderit. At exemplum illud Crœsi filii, qui mutitatis suæ sanatus est, aspectu militis patrem suum interfecturi, omnibus cognitum est; multaque hujusmodi exempla nostris etiam temporibus acciderunt, quorum unum satis memorabile a Squire[3] narratur.

---

[1] Medic. Commun. 1790.

[2] Mem. of Medical Society of London, 1795.

[3] Phil. Trans. vol. xlv.

Hic quoque temperare me non possum quin subjiciam id quoddictum est a Clarissimo Viro CURRY, de *Asphyxia*, modo excitatâ, veluti alii multi morbi, modo solutâ Electricitate. "This recommenda-"tion," inquit, "of Electricity does not depend "upon mere theory, but is drawn from instances "of its success in real cases, as well as in experi-"ments made upon fowls, and other small ani-"mals, which, after being completely deprived of "sense and motion by a *strong* electrical shock "passed through the head or chest, were perfect-"ly recovered by transmitting *slighter* shocks "through the same parts; and in this way anima-"tion has been suspended and restored alternate-"ly, for a considerable number of times [1]." Nescio quid magis Homœopathiæ præcepta corroborare potuerit, quam hæc experimenta; quæ ideo etiam magis preciosa sunt, quia facta sunt gravi viro, sine ullo consilio propriam ullam conjecturam sustinendi.

Citari hîc quoque *Hæmorrhoïs* potest, quæ, ut sæpe purgantibus resinosis, maximeque Aloë, con-

[1] Popular Observations on Apparent Death, by James Curry, M. D.

citatur, ita non raro iisdem medicamentis discutitur; pariterque *Diarrhœa*, quæ remediis purgantibus modo movetur, modo finitur. Alia remedia, quæ plerumque adversus Diarrhœam adhibentur, sunt Antacida Sedantiaque; sed alterutra ex his parum tuto sæpe dantur, propter gravem tarditatem alvi, quam efficere solent; semperque, ut mihi visum est, Diarrhœa, etiam in acuta sua forma, remediis laxantibus optime curatur.

Alius morbus, qui argumentum nostrum vehementer confirmare potest, *Gonorrhœa Mitis* est; quæ omnibus propemodum iisdem rebus sanari sæpe potest, quibus excitari solet. Ex his præcipua sunt Frigus, Meloë Vesicatorius, Piper Cubeba, pleraque Balsama Terebinthinæque, et denique Candelæ usus; supervacuum autem esse videtur dicere quàm commode frigidæ aquæ affusio, omniaque medicamenta supra dicta, et ipsa Candela, in ejusdem affectûs curatione adhibeantur.

At Gonorrhœa vix firmius testimonium præstat, veritatis principii nostri, quàm ipsa *Syphilis*. Constat nunc inter optimos auctores Hydrargyrum (quod per plures annos, solum remedium esse hujus mali credebatur) posse excitare, non quidem

veram Syphilidem, sed affectum quendam corporis, qui veram Syphilidem summopere repræsentat; ita ut, ex pluribus malis, vulgo Syphilidi tributis, si Hydrargyrum in curatione ejus forte datum fuerit, vehementer sæpe dubium sit, quæ revera ex Syphilide, quæ ex remedio ejus, profecta sint. Recte dictum a JOANNE HUNTER, adversus vanas futilesque explicationes, quæ offerri antea solebant, actionis Hydrargyri in hac peste sananda, idem satis evidenter proficere per stimulum suum; quem tamen falso credidit vehementiorem esse quàm ipsius morbi, atque ita validiorem stimulum infirmiorem superare, neque enim opus esse videtur, ut validior sit affectus, qui remedio aliquo movetur, sed solum ut sit similis in natura sua morbo quem depellere debet. Non adjicere quoque hic non possum, quàm parum sibi constare nostrorum temporum multi Medici videantur, qui, cum Ophthalmiam, Gonorrhœam, multosque alios morbos remediis vehementer excitantibus, pro sedantibus olim vulgo adhibitis, curare inceperint, in Syphilidis contra curatione, pro excitantibus, olim datis, ad sedantia, quasi unicum remedium, confugerunt, Hydrargyrumque "cane pejus et angue" vitandum

esse affirmârunt. In tales scilicet difficultates ducere solet defectus firmorum principiorum, atque facultatis discernendi inter usum rerum et abusum.

Pene idem, quod proxime dictum de Syphilide est, dici de *Febribus* quoque potest; quæ, ut sæpe ex causis excitantibus proficiscuntur, ita non raro, utique ubi non admodum validæ sunt, remediis excitantibus solvi possunt. Insuper multæ Febres, quæ ex affectibus animi validioribus ortæ fuisse videntur, similibus affectibus interdum discutiuntur; cujus rei quædam notabilia exempla ab Hamilton [1] tradita sunt.

Sed si Febres generales Homœopathiæ leges quodammodo illustrent, multo magis eo conferre videtur *Sudor Anglicanus*, qui, variis temporibus, ab anno 1485 ad annum 1713, Angliam vastavit. In hoc morbo unum ex præcipuis incommodis, ut docemur, copiosissimus sudor fuit; adversus quem nihil tantopere profuit, quam medicamenta sudorifica. Hoc discimus ex Fracastorio, Fernelio, Foresto, Sennerto, aliisque multis, qui hanc pestem descripserunt; idemque a Sagar colligitur,

---

[1] Trans. of the Med. Chir. Society of Edinb. vol. i. p. 296.

qui idoneam ejus curationem his verbis tradit: "Quies in lecto, vitatio frigoris, conservatio sudo-"ris, cardiaca et sudorifica profuere."

Diximus jam quemadmodum venena, prius sumpta, venenorum effectibus obstare videantur; neque ullo alio modo adjuvare, contra *Variolam*, videtur Vaccinatio, antea arte excitata. Hîc enim alterum virus, utcunque levius, ab altero graviore præsidium est; idemque fortasse dici potest de Belladonnæ radice, quae, certâ copiâ sumpta, tutum hominem a *Scarlatinæ* contagio præstare dicitur [1]. Nescio an hîc citare liceat succum Gauco, (Micania Guaco,) quo uti solent servi in America aliisque locis, ad se tutandos contra *serpentium ictus*, idque, secundum HUMBOLDT, ZEA, multosque alios, summo commodo; vel Arsenicum, quod homines immunes, non solum a reptilium, sed etiam a rabidarum bestiarum morsu, reddere dicitur; sed, uti mihi videtur, boni effectus horum remediorum, (si qui sunt,) atque adeo aliorum multorum similium, ad Homœopathiæ leges recte referri possunt.

---

[1] Hufeland's Journ. 1800. Rev. Med. 1824, &c.

Supersunt innumerabilia alia exempla morborum, eorumque remediorum, quæ hos leges mirum in modum illustrant; sed, brevitatis causâ, contentus ero illud unum adjicere, quod, ut partes gelatæ nullo modo commodius quàm per nivem, ita partes ambustæ, pari ratione, optime per res calidas, curantur. Hoc quàm parum quadret ad vetustam sententiam, "contraria contrariis," quàm bene autem ad novam, "similia similibus," satis manifestum est; argumentaque Cl. KENTISH [1] aliorumque qui supra laudatam partium ambustarum curationem præcipue commendârunt, abunde ostendunt Homœopathiam minus re, quam verbis, iis incognitam fuisse.

Scatent ubique opera Cl. HAHNEMANN mille aliis testimoniis veritatis principiorum suorum, ex variis aliis morbis sumptis; sed malui testimonia mea ex iis morbis, iisque illorum remediis, sumere, quæ, apud nos, maxime familiaria sunt.

Restat nunc solum ut pauca dicam de modo, quo remedia Homœopathica operari, in curandis morbis, videntur. Secundum HAHNEMANN, ex

---

[1] Essay on Burns, 1797.

tribus generibus medicamentorum, quæ sola adversus morbos adhiberi possunt, ut Homœopathica optima, ita Antipathica pessima sunt ; ideo maxime quia tantâ copiâ plerumque dantur, ut secundariis suis effectibus magis noceant, quàm primariis adjuvent. Exempli gratiâ, si, adversus vehementis caloris effectus, ingens frigus adhibeatur, fieri quidem potest ut incommoda, per spatium aliquod, imminuat ; sed sequitur reactio quædam, quæ vehementis caloris iterum officio fungitur, omniaque mala intendit ; at si protinus mediocris calor admoveatur, movet nimis exiguum effectum quàm ut aliqua gravis reactio subsequatur, sed tamen satis magnum, ut priora omnia mala depellat. Ut ille inquit, " Un medicament qui a la faculté et la tendance de produire une maladie artificielle très " semblable à la maladie naturelle en question, et " qui a été donné au malade en dose bien proportionée, affecte, en influant sur l'organisme, justement les parties qui souffroient jusqu'alors de " la maladie naturelle, et excite en elles la maladie artificielle qu'il peut produire de sa nature. " Or celle-ci, à cause de sa grande resemblance et " de sa force prépondérante, occupe de preference

"la place de la maladie naturelle, de façon que "l'organisme ne souffre plus deslors de la dernière, "mais uniquement de la maladie medicinale. "Mais le remède ayant été donné en très-petite "dose, celle-ci disparoit bientôt, comme toutes les "maladies médicinales moderées, et laisse le corps "libre de toute souffrance, c.-à-d. dans un état de "santé parfaite et durable [1]." Confitendum tamen est, quòd parum facile esse videtur intellectu, quemadmodum levior affectus, talis qualem excitare arte volumus, possit habere "une force prépondé-"rante," ita ut gravioris locum occupet; quinetiam suspicor, utcunque remedia Homœopathica Antipathicis præstent, quod meliores illorum effectus ratione quodammodo diversâ explicari debent. Consentiunt hodie inter se Medici, quod plerique morbi, in ea illorum conditione quâ vulgo curantur, ut puta inflammatio, quæ fons quasi et origo est novem ex decem morborum qui genus humanum vexant, ex collapsu quodam partium affectarum constant; qui collapsus consequentia est prioris nimiæ irritationis, ideoque totidem diversarum

[1] Organon, l'Art de Guerir, p. 169.

specierum fortasse est, quòd species irritationis existunt. Uti igitur, in sana partium conditione, si quis inordinatus stimulus ei admoveatur, primum proprio modo ultra sanitatem irritatur, posteaque, ex lege aliqua naturæ, in propriam formam collapsûs cadit, ita, in hac partium conditione, si idem stimulus ei iterum admoveatur, denuo proprio modo irritatur, sic tamen ut, non ultra sanitatem, sed ad sanitatem, unde postea recedere nulla proclivitas est. Uti mihi quidem videtur, explicatio supra proposita ostendit, non solum cur remedia excitantia tam sæpe prosint in iis morbis qui ex causis excitantibus proficiscuntur, sed etiam cur eadem excitantia, unde morbi profecti sint, maxime valeant in iis tollendis, id quod est totum Homœopathiæ fundamentum.

Ex iis igitur quæ proxime dicta sunt, sequitur ut, ad Homœopathicas curationes commode exercendas, summâ curâ studioque opus sit, ut omnia signa, quæ ex singulis medicamentis unquam oriuntur, bene intelligamus; neque enim, sine hac cognitione, possumus ullo modo novisse quid, in quavis serie signorum optime conveniat. Hoc ut faciamus, suadet Hahnemann ut utamur medicamentis, non

modo quàm purissimis atque validissimis, sed etiam plerumque simplicibus, quò melius singulorum effectus percipiamus, atque ita propria antidota singulorum morborum deprehendamus. Alterum illud quoque ex principiis ejus sequitur, quod remedia nostra in copiis plerumque admodum exiguis adhibeamus; etenim necessarium est, non ut vehementem, sed solum ut novum affectum, moveamus. Irridere possunt qui primum audiunt in quantillis copiis HAHNEMANN medicamenta sua præcipere soleat. Etenim de Ferro loquens, hæc habet: "Magnæ et crebræ Ferri doses, sicuti etiam "balnea plura martialia, effectum per mensem in-"tegrum exercent. Imo parvæ doses, partem "$\frac{1}{1000}$ vel $\frac{1}{10,000}$ vel $\frac{1}{50,000}$ grani hujus metalli "continentes, quibus Medicus Homœopathicus uti "solet, actionem aliquot dierum habent [1]."

Insuper de Tinctura Ignatiæ Amaræ, "Dosis "quantitatem quod attinet, raro majore quam gut-"tæ dilutionis iii. vel iv. i. e. parte trillionesima "vel quadrillionesima guttæ puræ, ad usum Ho-

[1] Materia Medica Pura, ii. p. 100.

" mœopthicum egebis, sæpe ad minorem adeo de-
" scendendum erit [1]."

Sed qui hæc irridet, eum considerare velim quàm boni effectus sæpe oriantur ex tam exigua copia variarum rerum, quam in aquis mineralibus interdum reperiuntur; quinetiam, quàm sæpe Syncope moveatur, robusto viro, ipso odore Aquæ Rosæ, vel Nausea Moschi, cum, in his exemplis, multo minus fortasse, quàm centies millesima pars granuli nares ejus intrare potuisset!

Subjiciam nunc, formâ Appendicis, brevem historiam morbi, ejusque curationis, ex libro illo " The " Edinburgh Medical & Surgical Journal, vol. 28," sumptam, quò melius percipiamus quemadmodum præcepta Homœopathiæ ad Medicinam Practicam ipso Hahnemann adoptentur; illud solum adjiciens, quod, si ex hac disciplina, tanta commoda aliquando arti nostræ profluxerint, quanta, jam in incunabilis pollicetur, inventio ipsa felix, Hahnemann autem, inventor ejus, omni laude omnique observantiâ dignus erit.

---

[1] Materia Medica Pura, ii. p. 137.

APPENDIX.

CASE. The patient was a stout washerwoman, about forty years of age, who had been unable to work for three weeks, when she applied to HAHNEMANN. The following is a literal copy of his description of the case:

Symptom 1. At every moment there is an acute pulsating pain in the cardia, particularly when the foot is put to the ground; whenever a false step is made, the pain comes on in the left side.

2. On lying down she was quite easy, no pain being felt anywhere.

3. Not able to sleep after three in the morning.

4. After eating she had nausea.

5. After eating there was a collection

of fluid in the mouth, as if she had worms.

6. After she had eaten, she had eructations, but without odour.

7. She was of a choleric temperament, and during the paroxysm of pain was covered with a sweat. All the other functions were regularly performed.

Remarks by Hahnemann.

Now, as to the symptom No. 1, Belladonna, Cinchona, and Rhus Toxicodendron produce pain in the heart, Bryonia Alba produces it also, with the additional power of causing pungent pains under the sternum, on raising the arm. As to the negative symptom No. 2, there appear to be other medicines besides the Bryonia which have the power of tranquillizing pain on lying down, but none so decidedly, especially in connection with the other symptoms, as Bryonia. As regards No. 3, that symptom may be produced by many medicines as well as Bryonia. No. 4, as to the nausea after eating, several medicines produce this effect, but

Bryonia more especially. No. 5, several medicines produce a copious secretion of fluid in the mouth, so does Byronia; but other medicines do not produce the other symptoms detailed in the present case. Hence the Bryonia Alba is to be preferred. The eructation, after eating, follows the employment of but few medicines, but it happens when Bryonia is used; consequently, on that account also it is to be chosen. The state of the mind or temperament is also to be considered, and Bryonia produces such a change in the disposition as is mentioned in No. 7. Hence, of all medicines the Bryonia is most applicable to the present case, if we wish to effect a Homœopathical or permanent cure.

FINIS.